

Actum in palacio comunis, presentibus ser Srechia Lucari, ser Cuçio Bucamaioris testibus et aliis de dicto consilio, et Balcio examinatore.

XXII

1359, 16 agosto.

*IV, III, Cedola volante
a cc. 34/46*

Hec est copia cuiusdam scripture scripte, ut uidetur, manu reuerendi in Christo patris domini Bartholomei dei gratia Barensis archiepiscopi, eius sigilli impressione in cera rubea munite, cuius tenor per omnia talis est:

Bartholomeus dei gratia Barensis archiepiscopus uniuersis et singulis presentes licteras inspecturis salutem in domino et animum ad grata paratum. Confisi de fide et industria Seueri Boeccii de Neapoli, antiqui seruitoris et domestici nostri, ipsum cum nostra condura et certis mercibus nostris et ecclesie nostre, Venecias et ad certa loca alia destinamus, constituentes eum dicte condure patronum ac nostrum procuratorem, actorem et nuncium speciale tam super rebus sistentibus in dicta condura, quam super omnibus aliis quas habemus uel habebimus ubicumque per Ystriam, Sclauoniam et Dalmaciam, cum generali, plena et libera potestate petendi, exigendi, recipiendi et distrahendi omnia quecumque habemus uel nobis debentur in partibus prelibatis, ac quietandi quoscumque debitores nostros de eo quod recipiet ab eisdem et specialiter dompnun Volconium canonicum Spalatensem depositarium nostrum de certa ordei quantitate, postquam ipsum ordeum uel eius precium ab ipso percipiet. Quo circha Christi fideles et amicos nostros actente rogamus ut cum ipse Seuerius eorum fauoribus indigebit sibi assistant in iustis suis petitionibus et onestis ut post diuinam remunerationem respondere teneamur eis ad similia et maiora. In quorum omnium testimonium et certitudinem presentem procuratoriam epistolam subscriptione manus proprie ac impressione nostri pontificalis sigilli duximus muniendam.

Data Bari die XVI^o augusti, XII indictionis.

(L. S). Nos qui sopra Bartolomeus dei gratia Barensis archiepiscopus propria manu subscripsi.

XXIII

1359, 28 giugno.

IV, III, 33/45 e 37/49 v.

(cc. 33/45): In dei nomine amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentessimo quinquagessimo nono, indictione duodecima.